

Clavani<sup>53)</sup> nequiter processerunt, ibique plura contra nobiles viros / dominos A. et N., dominos dicti castri, enormia commiserunt; propter quod nobilis vir dominus L. de Columpna<sup>54)</sup>, precessor noster in / rectoria ducatus predicti, spretis mandatis ipsius per dictos Cassianos, / de mandato domini nostri summi pontificis contra ipsos generalem exercitum / congregavit, ad hoc ut eorum nequitiam refrenaret et / penam reciperent de commissis et dictum castrum reficerent, quod / tunc refectum existit per vos et alios de ducatu; et post/modum ipsi Cassiani, operante principe tenebrarum, in / tanto ad ipsum castrum sic refectum hostiliter accesserunt / ipsumque totaliter diruerunt, sergentes qui ad ipsius castri / custodiam morabantur atrociter occ[i]dendo, et alia plura detestanda / in contemptu sancte Romane Ecclesie et dicti nostri precessoris committere non / cessarunt. Quorum occasione dictus dominus L. ipsos Cassianos / in certis summis pecunie Camere Romane Ecclesie et ipsis nobilibus // sententialiter condemnavit [...] et citavit ut venirent / coram eo de [...] Romane Ecclesie parituri; quod quidem / fecerunt [...] nec monitionibus nec per alios pro[ce]ssus emo/liri in aliquo potuerunt. Nos igitur, volen[te]s ipsas sententias exequi, ut tenemur, ipsos Cassianos pluries moneri fecimus / et ei[s]dem dedimus in mandatis super certis penis ut venire de/berent ad parendum mandatis nostris super sententiis<sup>a)</sup> supradictis; qui tanquam / filii iniquitatis mandata nostra habuerunt penitus in contemptum, / mala malis [ad]-dendo et iniurias iniuriis cumulando. Ideoque, ad / reprimendam dictorum Cassianorum superbiam, contra ipsos generalem exercitum decrevimus faciendum. Quare devotionem vestram et fidelitatem / requirimus et monemus, vobis nichilominus ad penam duorum milium marcharum / argenti et plus nostro arbitrio auferendam districte precipiendo / mandamus quatenus sic sollicite sicque devote vos equis / et armis et aliis apparatibus ad exercitum oportunis parare cu/retis, quod ad XX diem mensis maii proximi futuri veniatis communiter / ad nos, ubicunque erimus in ducatu, vexilla sancte Romane Ecclesie / atque nostra tutore Deo feliciter secuturi. Alioquin etc. /

---

a) summis *Hs.*

<sup>53)</sup> *Chiavano (Gem. Cascia, Prov. Perugia).*

<sup>54)</sup> *Landolfo Colonna, Rektor des Herzogtums Spoleto vom 1. März 1288 bis zum 29. April 1289 (W a l e y, The Papal State S. 313 Nr. 26).*